



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1565**

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini M. D. XXXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29789**

Contra articulos  
Ios Lutheri  
ad Concilium

Cumque Concilium Generale indictum esset  
Vicentiæ celebrandum: Lutherus Teuthonice  
euulgavit articulos, quos à suis vellet Concilio  
nomine suo proponi. Contra quos Cochleus,  
pro honore & salute Germanicæ Nationis respō-  
dens: rogavit, ne articuli, vsque adeo absurdi &  
impii, proponantur Cōcilio, eo quod pudor ac ri-  
diculo forent apud reliquas Nationes. Nā plerū-  
que ex iis articulis sunt Confessioni Lutherano-  
rum, quæ Augustæ fuerat Cæsari & toti Impē-  
rio exhibita, contrarii. Verbi gratia. In Confessi-  
one, aiūt, falso accusantur Ecclesiæ vestræ, quod  
Missam aboleāt: retinetur enim Missa apud nos  
& summa reuerentiā celebratur. At secundus  
Lutheri articulus, quem Concilio proponi velis,  
sic habet, Oportet Missam in Papatu maximam  
& horredissimam esse abominationem, eo quod  
directe & violenter pugnat contra hunc princi-  
palem articulum: Sola fides in Christum, nos iu-  
stificat. Ait autem Cochleus, grauiorem inde  
fore ruborem proponētium hæc in Cōcilio: quia  
secundus fundatur super primum, qui multiplici-  
titer de falso conuictus, & in nulla scriptura sua  
datus est.

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXXIX.

Consilium ad  
Papam pro  
Reformatione

**F**ulgatum fuerat in scio Pontifice, egre-  
gium quoddam consilium de Refor-  
manda Ecclesia, & emendandis Ro-  
mæ

Curia abusibus, à septem doctissimis ac Integer  
 nimis viris ipsi Pontifici in secreto datum: Nem  
 re à Card. Contareno, Card. Theatino, Car  
 din. Sadoleto, Card. Polo Anglico: Archiepisco  
 pis, Salernitano & Brundusino. Episcopo Vero  
 nensi, Abbate S. Georgii Veneto, & à F. Thoma  
 Magistro sacri Palatii. Hi igitur circa finem sui  
 consilii, ita subiunxerunt. Hæc sunt, Beatissime  
 Pater, quæ in præsentia pro tenuitate ingenii no  
 stri, colligenda esse duximus, & quæ nobis corri  
 genda viderentur. Tu vero pro tua bonitate &  
 sapientia, omnia moderabere: Nos certe, si non  
 rei magnitudini, quæ nostras vires lōge superat,  
 conscientię tamen nostræ satisfacimus, non sine  
 maxima spe, vt sub te Principe videamus Eccle  
 siam Dei purgatam, formosam vt columbam: si  
 bi concordem in vnum corpus consentientem,  
 cum æterna nominis tui memoria. Sumpsiisti ti  
 bi nomen Pauli: Imitaberis, speramus, charitatē  
 Pauli. Electus fuit ille, vt vas quod deferret no  
 men iam Christi per gentes. Te vero speramus  
 electam, vt nomen iam Christi oblitum à gen  
 tibus, & à nobis Clericis restituas in cordibus &  
 in operib<sup>9</sup> nostris: ægritudines sanes, oues Chri  
 sti in vnum ouile reducas, amoueasque à nobis  
 iram Dei, & vltionem eam, quam meremur iam  
 paratam, iam ceruicibus nostris iminentem.  
 Contra hoc pium ac salutare optimorum virorū  
 consilium, duo prodierunt libelli. Vnus à Luthe  
 ro, qui id in Germanicū vertēs, pessimis in mar

Mm iij

*Inique impu  
 gnationes con  
 tra illud con  
 silium.*

gine conspurcauit ac peruertit annotationibus:  
 Alter à Ioanne Sturmio Rhetore Argentinenſi.  
 Ad quem ſcripſit Cochlaeus breuem libellũ, qui  
 in ſcriptus eſt, *Æquitatis diſcuſſio ſuper conſilio*  
*Delectorum Cardinalium &c.* In quo ſane inter  
 cætera ſic ait ad Sturmium. Attamen nihil dubi-  
 to, epistolam tuam longe æquiori animo à doc-  
 tis & grauibus uiris legi, quam Teuthonicam ad-  
 uerſus uiros illos Lutheri interpretationem. Tu  
 enim à conuitiis non nihil temperas: Lutherus  
 autem non ueretur, tantos uiros (quorum erudi-  
 tionem uiteque integritatem, quam & tu faceris  
 nouit ac laudat vniuerſa Italia) dicere perditos  
 ac deploratos Nebulones. Tu Latine ſcribis, ut  
 illi queant intelligere, quid approbes & quid  
 reprehendas, atque quid amplius ab eis deſide-  
 res: Lutherus autem Teuthonice ad rudes Ger-  
 manicæ plebes, illos nequiter traducit, ſicut fecit  
 olim aduerſus Ezechiam Regem improbus Ra-  
 pſaces. Tu eqs in quibusdam laudas ac probas:  
 Lutherus abſque diſcrimine cuncta refutat, aut  
 ſi tam manifeſte bona ſunt quæ illi dicunt, ut a  
 nemine, niſi ab impiis & inſanis, ſenſuque com-  
 muni carentibus, reprehendi queat: ipſe per ca-  
 lumniam in contrarium retorquet ſenſum, tan-  
 quam fictæ ac doſoſe, aut per Ironiam metiſque  
 peruerſitatē ab eis dicta ſint. Tu hortaris illos ad  
 cæpta perficienda: Ille uero dira eis imprecat  
 pro eiufmodi pacis & reformationis cõſilio. Tu  
 Synodũ generalẽ nõ omnino reiicis aut reſpuiſiſti.  
 Ille com-

*Ioan. Sturmio  
 us mo de ſtor  
 Luthero.*

de compluribus libellis variisque figmentis &  
 p̄sturis atque Teuthonicis rythmis omnē Sy-  
 nodum Oecumenicam calumniatur ac recusat.  
 Tu spem aliquam ad concordiam nobis relin-  
 quis. Ille iam pridem minatur nobis bellum per-  
 petuum, vt nec viuus nec mortuus, vllam nobis  
 pacem aut quietem sit permissurus & c. *Epistola Car-*  
*dinalis Sadole*  
*ti ad Ioannem*  
*Sturmiū.*  
 Cardinalis Sadoletus ad eūdem Sturmiū scri-  
 bens, & quidem humanissime ac modestissime,  
 reprehendit eum de cōuitiis. Sic enim ait. Illud  
 mollem, mi Sturmi, valdeque mihi id. molestum  
 accidit, quod vidi tantum nitorem orationis,  
 quantus in te est, infinitis penē conuitiis & con-  
 tumeliarum asperitatibus inquinari. At ego arbi-  
 trabar, hoc vnus Lutheri proprium esse, irruere  
 in omnes homines, videlicet cum impetu & cla-  
 more: à vobis autem hominibus liberalibus eru-  
 ditis longe id abesse. Quonam igitur modo hæc  
 labes in tuum tale ingenium incidit? Aut que nō  
 sunt in tuo libro plena maledictis & acerbis ob-  
 iurgationibus loca, cum turpitudines nostras,  
 consceleratas voluntates, crudelitatem nefariā,  
 flagitia, scelera, vbique inculcas ac repetis, scili-  
 cet nos, qui à vobis dissentimus, vno nomine om-  
 nes in vituperationem vocans: cum tamen, si  
 de singulis iudicium faciendum sit, & maior sit  
 copia bonorū virorū in vrbe Roma, eorū inquā,  
 qui sacerdotiis præsūt, quā malo. & c. Et Cardī-  
 nalis Cōtarenus ad Cochleū inter cetera sic scri-  
 psit. Tu vero Cochlæ, pro tua prudētia ac rerū  
 Mm iij

*Verba Card.  
Constantini.*

Germanicarum experientia, ac pro Christiana pietate operam dato, ut schisma hoc refarciatur ut nostra tempestate videamus, Ecclesiam unā esse vinculo charitatis & pacis, ac vestra Germania, nobilissima & potentissima Christiana Reipub. pars, tandem quiescat, ac sibi pareat, proindeatque, ne seditionibus his duraribus, suis ipsa se viribus conficiat. Ad hæc Cochläus ita. Quam acute ac intime pungunt ac penetrat hæc Opt. ac doctissimi viri verba (præsertim vltima) sensus mentemque & cor meum. Nihil enim magis anxie timeo, nisi hoc vnum præcipue, Ne Germania suis ipsa se viribus conficiat, ac miserè civilibus bellis confecta, Turcarum tandem præda fiat. Quanto esset satius, Doctos homines, sua de fide & religione disceptationes, non ad Laicos & imperitum vulgus: sed ad publicas potius Academias, immò ad Generale Conciliū referre humiliter, ut Ecclesiæ potius, quam proprio suo iudicio crederent atque inniterentur. Non enim hunc vel illum hominem, quantumvis doctum aut eloquentem: Sed Ecclesiam vocat Paulus columnam ac basim veritatis. Quantum ad me attinet, nihil profecto in hac vita mihi tam charum aut pretiosum est, quod pro refarcienda inter nos de fide & religione concordia, non sim quam lubentissime impensurus atque derelicturus, si quid per me, pro pace ac unitate Ecclesiæ, fieri posset &c. Grauisimum autem accepit Catholica religio hoc anno incommodum ac detrimentū, ex obitu Illustriss. Ducis

*Pia propositio  
via salute sollicitudo.*

*Obitus Ducis  
Sax. Georgii  
& filii eius.*

Ducis Saxonie Georgii, & filii eius vere simpli-  
 cis & innocenti, Ducis Saxonie Friderici. Nam  
 successor haresque & frater eius, Dux Henricus  
 ante à Lutheranis seductus, Lutheri sectam  
 publicis mandatis introduxit in omnes terras  
 Misnie, Turingie & Saxonie, quæ sub ditione  
 Ducis Georgii fuerant. Et in Cathedrali Eccle-  
 sia Misnensi (vbi antea diuinis officiis, & diuer-  
 sis cantandi & psallendi vicibus, laudabatur De-  
 us iugiter die ac nocte, omni hora, absque vlla  
 intermissione) cultum diuinum maxima ex par-  
 te aboleuit antiqua religionis facie prorsus mu-  
 tata. Expulsus itaque inde Cochleus, paulo post  
 commiseratione Venerabilis Capituli Vratisla-  
 niensis, assumptus est in Canonicum Cathedra-  
 lis illius Ecclesie. Dūque subsisteret exul aliquā  
 diu Budissinæ in Lusatia, scripsit ibi libellum su-  
 per hac quæstione. Vtrum is, qui non est ab ali-  
 quo Episcopo legitime in sacerdotem ordinat<sup>9</sup>  
 & consecratus, Eucharistiam per verba consecra-  
 tionis conficere queat. Vbi partem negatiuam  
 probauit ex omni scripturarum sacrarum gene-  
 re, & ex historiis patribusque confutans etiam  
 partis aduersæ argumenta.

*Acta & scripta Lutheri Anno Domini  
 M. D. XL.*

**H**oc anno Cæsar ex Hispaniis, per Gallias *reditus Cæ-*  
 magnificentissima hospitalitate dedu *saris.*  
 ctus, in Germaniam Inferiorē reuersus